S. D. Clarissime vir, patrone colende,
iamdudum expectamus Andreolam & quidem
cum desiderio, sed frustra, quod suspicamur
cum ὑπολείψεως cursu peracto ad συζυγμὸν
delatum esse & decrevisse insistere. Tribuimus
hoc aetati & alijs causis, quae ex mercurio
saturnũ cum fecerunt. Ne autem nihil
ante reditũ eius scriberem, dedi hanc epistolam
M. Weigelio in patriam suarum rerum
causa revertenti, de quibus cum sit ad
te relaturus, petiuit sui ut mentionem facerem
apud te. Fuit meo socero carus, &
ita vixit apud nos, ut testimonio sit
honorifico dignus & studio atque favore
bonorum virorum. De suis rebus itaque
te consulentem & tecum deliberantem
vel expetentem tuã operam atque auxiliũ
tuũ, ut pro eximia sapientia & humanitate
tua, benigne adiuves oro. Nostra dei
beneficio tranquilla sunt, & florent studia
mediocriter. Utinam sit nobis hic status
diuturnus. Sed novos motus metuimus publice.
Bene & feliciter vale. 14 Iunij.

Caspar Peucerus.

C 107 I: 13./ nr. 5